

KK 631.44





803

AD  
**O R A T I O N E M**

MVNERIS IN LYCEO TORGAVIENSI

ADEVNDI CAVSA

D. V. MAII A. C. CCCLXXXIII.

HORA VIII. MATVTINA

AVDIENDAM

**PATRONOS ET FAVTORES**

I N V I T A T

E T

DE IMAGINIBVS ROMANAЕ NOBILITATIS

I N S I G N I B V S

DISSERIT

**M. TRAVGOTT FRIDERICVS BENEDICT**

RECTOR DESIGNATVS.

---

L I P S I A E

L I T T E R I S S O M M E R I



AD  
O R A T I O N E M

IN EDITIONE TYPICO TOLOGRAFICA  
IMMAGINE IN TECNOLOGIA FOTOGRAFICA

AD LIBITUDI CAVET

AD LIBITUDI CAVET

AD LIBITUDI CAVET

AD LIBITUDI CAVET

T A T R A N O N S E T E V A T O R E S

I N V I T A T I

T E

D E W I C H G R A B S R O M A N E N N O R M U L T A T I Z

I N S I G N I E S

D I S S E R T A T I

M I T R A Y A G O D T E R P D U L I C A S D I N E D I C T

H E C T O R D E S I G N A T A Z

L I T T E R A T I

L I T T E R A T I S S O M M E R I

D I T T U D I N I C I

D I T T U D I N I C I



## I.

Cum nuperrime ad lectionem duorum LIPSII librorum accederem, quos Electorum nomine insigniuit, quiue redolent iam dictionem, quae dicitur, *Lipsianam*<sup>1)</sup>: inter alia, quae de Romanorum antiquitatibus dedit, caput 29. Lib. I. de Imaginibus imprimis lectu dignum videbatur. Quare facere non potui, quin Lipsii sequereret his conscribendis consilium, quo praetitrum se iuuentu ad doctrinam veterem affirmat: ideoque, quae dixit ibi, pluribus, quoad fieri poterat, examinaui et alia quae-

A 2

dam,

1) Nota est mutatio, quam vario tempore Lipsiana scribendi ratio subiit. Cum enim iuuenis vix nouemdecennis (quod ipse enarrat in Praefatione ad Var. Lett.) prima ingenii et doctrinae specimina, libris III. Variar. Lett. conscriptis, ederet, Ciceronem imitatus florido atque copiosiore dicendi genere est usus. Mox autem ad emendanda Plauti, Senecae atque Taciti scripta delatus stilum vertit paululum atque pressius proposuit omnia cum summa breuitate, quae quidem obscuritatem interdum peperisse in ultimis potissimum scriptis eius videtur. conf. AVBERT. MIRAEVS in vita Lipsii.

dam, quae veterum scripta de imaginibus Romanae nobilitatis tradunt, adieci.

Quod igitur ad ipsam vocabuli: *Imago* significationem attinet, **FESTVS** et **VOSSIVS**<sup>2)</sup> ab imitatione dictum putant, ut adeo *simulacrum* indicet *vultus* seu *formae anterioris similitudinem* referens. Plerumque distinguunt veteres scriptores imaginem a *statua* et *signo*, quae *de solidâ potius materia*<sup>3)</sup>, de simulacris e lapide, ligno, marmore, aere etc. confectis adhibentur, cum contra *imaginis nomine cereum* in primis, *vario colore adumbratum*, complectantur. Sed loca quoque occurrunt, quibus non obseruatum illud discrimen legitimus. Ita **CICERO**<sup>4)</sup> narrat: *se Demosthenis imaginem ex aere vidisse*, quibus plura scriptorum loca post Ciceronis aetatem possent adiungi.<sup>5)</sup> *Effigiem* etiam ab imagine differre ut speciem a genere, docet **AVS. POPMA**:<sup>6)</sup> sed malim, haec duo vocabula inter se plane permutari atque *complecti* saepissime eandem notionem, quod vel ipsa loca probant, quae Popma ad confirmandum illud discrimen laudavit. Ceterum nescio, quo fato **RICHTERVS**,<sup>7)</sup> qui Popmae librum recensuit, idem discrimen vocabulis imaginis atque idoli addixerit: hoc ab illo tanquam speciem a genere differre. Quod quidem quam falsum sit, ex eo statim appetet, quod *imago de rei simu-*

2) Ille in libro: *de verborum significatione*, hic in *Ezymologico* sub h. v., vt quasi *Imitago* antiquis sit dictum. Plurium eiusdem etymi verborum si mentio ab eodem *vostrō* sub voc. *Vinum*. Alii ab *ειγμα* graecorum deducunt. Alteri alii.

3) Vid. **ERNESTI** Clav. Ciceron. in voc. *signum*, et **PLINII** locus Hist. Natur. Lib. XXXV, 2. qui simul *classicus* est de illis veterum imaginibus et ita discrimen hoc innuit: *Apud maiores in atriis bac erant, quae spectarentur, non signa externorum artificum, nec aera aut marmora: expressi cera vulnus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quae comitearentur genitizia funera.*

4) In *Oratore*, cap. 31.

5) Conf. **TACITVS** in *Vita Agricolae* cap. 46. num. 4. et omnino **ERNESTI** ad **SVETON.** Tit. cap. 4. qui variis exemplis idem demonstravit, quamvis **OVDENDORPIVS** ad **SVETON.** *Vespas.* cap. 1. ipsi refragetur.

6) In libro: *de differentiis verborum*, sub voc. *Effigies*.

7) Sub voc. *Imago*.

simulacro constante atque perpetuo manente adhibetur, *Idolum* autem plerumque ad inanes phantasiae atque oculorum fraudes, quae mox adsunt, mox euaneantur, solet referri. (εἰδωλα· τοις Φαντασμάτα, αἴσατα νογι αἴβεβαια.)

S. II.

Iam si *materiam imaginum*, quae maiorum vultus in atriis repreäsentarent, respiciamus, iis effingendis ceram fuisse adhibitam antiquis temporibus, innumera scriptorum loca confirmant. Quo factum est, vt poetæ de *Ceris*, hoc est, de *imaginibus maiorum*<sup>8)</sup> saepe canerent, posita rei materia pro re, vt dicunt, materiata. Illas autem maiorum imagines a *Plastis* fingi solitas, verosimillimum mihi quidem videtur. Sed dolendum est, *PLINIVM*, qui alias luculenter de eiusmodi rebus exponit, de ceris his effingendis tacuisse: ideoque difficilis est, indagare *imaginum illarum* originem atque fingendi artem. *Plasten* quidem eadem occasione atque simili fere de causa, quae *Picturae* originem dederat, inuentam tradit:<sup>9)</sup> Demaratum autem Corintho, artis huius matre, profugum cum Euchire atque Eugrammo fictoribus Tarquinium, Etruriae urbem, se contulisse, quorum opera fingendi ars in Etruria potissimum exculta fuerit. Quae cum ita sint, *Plasticam* obtinuisse antiquissimos temporibus in Italia, non dubitamus, neque a vero alienum videtur, *si quis primas maiorum imagines ex argilla confectas dicat*,<sup>10)</sup> donec cerae effingendae ars iis innotesceret: quae tamen non ita multo post, tum forte, cum melius suam *imaginem* exprimere vellent, inuenta esse videtur.

Sed *CHRISTIVS*<sup>11)</sup> nostra aetate in eam opinionem induci se passus est, qua *picturis* cera inustis adnumerat illas nobilium im-

A 3

gines

8) *Conf. OVID. Fast. I. 591. IVVENAL. Satyr. VIII, 19.*

9) *Conf. Hist. Nat. lib. 35, sect. 43.* cum quo conferri meretur de *pictura* inuenta narratio lib. 35. sect. 5.

10) *Conf. CHRISTS Abhandlungen über die Litteratur und Kunstwerke des Alterthums.* pag. 187. et *PLINIVS* l. l. sect. 44. et 45.

11) In libro laudato, pag. 36. 302. etc.

gines; de qua quidem pingendi arte multis egit PLINIVS<sup>12)</sup>. ERNESTI<sup>13)</sup> autem, plurimorum sententiam securus, opposuit se ipse atque protomis (des bustes) adnumerandas esse maiorum imagines censuit. Vtraque certe virorum doctissimorum sententia suis argumentis non est destituta. Protomas enim ex cera pura puta effictas nec ignis nec tempestatis vim variam diu sustinere aut quoouis anni tempore efferri in publicum tanquam funerum ornamenta potuissent, quin rimas agerent atque in paruula cerea fragmenta dilaberentur: quo quidem efficitur, ceram non quidem effictam, sed ut Christius voluit, inustam istis imaginibus videri. Neque tamen picturis tantum adnumero, quales in annulis hodie que videmus aut parietibus esse caelo insculptas, ita, ut anterior tantum pars vultus emineret, quod contra Christium recte negavit Ernesti. Nisi enim protomae illae hominis caput et collum ab omni parte repraesentarent, quomodo in funeribus potuissent cum reliquo corporis trunco coniungi, variis ornari vestibus, ut quam simillimae redderentur, atque currui aut sellis eurulibus imponi? <sup>14)</sup> Si igitur dicam, quod res est, duriorum quondam materiam, sive gypsum sive argillam putes, in illis imaginibus quasi fundimenti loco positam videri, quae tota quidem cera inusta obduceretur. Illo quidem fundamento firmior imaginum forma et aptior reddebar, quam reliquo corpori imponerent, hac autem cera inusta maior redibat vultus similitudo. Praeterquam vero, quod ipsa rei natura tuetur mean explicandi rationem, quidam quoque PLINI locus<sup>15)</sup> simile artificium significare atque optime hoc facere vide-

12) H. N. lib. 35. cap. II.

13) In Archeolog. pag. 92.

14) Conf. POLYBIUS, Hist. Lib. VI. 51. cuius verba haec sunt: ταῦτα δε τας εἰνογά — ἀνογοντες ποσμοι φιλοτιμως. Ἐπειγ δε των οινων μεταλλαξη τις ἐπιφανης, ἀγεστι εις την ἐνΦοραν περιπιθεντες, οις ὄμοιοτατοι ειναι δοκεσι, κατα δε το μογεθος και την ἀλλην πεζινοπην. Ούτοι δε προσαγαλλομβανεσι ἐσθητα — περιπορφυρες — πορφυρας — διαχρυσες, αυτοι μεν ἐν ἐφ ἀριστων ἔτοι πορευουται — ὅταν δε ἐπι τας ἐμβολες ἐλθωσι, παθεζονται παντες εξης ἐπι διφεων ἑλεφαντινων.

15) H. N. l. 35. lecit. 45.

videtur. Narrat enim: *Hominis imaginem gypso e facie ipsa primus omnium expressit, ceraque in eam formam gypsi infusa emendare instituit Lystratus Sicyonius.* — *Hic et similitudinem reddere instituit.* — *Idem et de signis effigiem exprimere inuenit. Creditque res in tantum, ut nulla signa statuae fine argilla fierent. Quo apparat, antiquorem hanc fuisse scientiam, quam fundendi aeris. Plura addere nolo de hoc loco, quem et oratio contexta et, que paulo ante praemisi, satis superque interpretantur.*

Inualuit autem consuetudo successu temporis, ut diuites pro cereis imaginibus aeneas quoque, aureas, argenteas atque lapideas curarent exsculpendas, postquam Romani, Graecorum atque Asiae regionibus in Prouinciarum formam redactis, statuarias illorum artes atque luxuriam didicerant. Sed visitatior illa fuit *Imperatorum* demum aetate, quia ante illa tempora scriptorum testimonia desunt. Arte tamen splendidiore et eximia vultus similitudo et varii colores perierunt, quibus cereae olim imagines distinguebantur. Quare *PLINIVS* suae aetatis morem, maiorum institutis aduersantem, reprehendit<sup>16)</sup>: *Aerci ponuntur clypei, argenteae facies, surdo figurarum discrimine, statuarum copita permuntantur — aliter apud maiores in atris.* Iure meo igitur *LIPSIVM*<sup>17)</sup> contra omnes fere criticos defendere ausim, qui in *ovidii Fast. Lib. VI, 363. pro: aerata per atria* legi mauult: *cerata per atria.* Loquitur enim Ouidius de patriciis, qui, capta a Gallis vrbe, inter titulos et imagines maiorum caesi essent. Quis autem credat, poetam his potissimum eruditissimis Fastorum libris ita a gentis suae antiquitatibus abhoruisse, vt, quae tum demum usurpari inciperent, iam maioribus in vsu fuisse doceret: aereas nimirum imagines pro cereis esse ceras? Unica *HEINSII* emendatio, qui legi iubet: *reserata per atria,* cum illa Lipsii decertare et aequalem veri spe-

16) H. N. 35. cap. 2.

17) Conf. Epistol. Quaest. Lib. IV. epist. 3. et suae veluti causae consilis eandem emendationem Elect. I, 29. repetit. Contra eum recentissimus quoque Fastorum interpres *TAVBNERVVS* cum plurimis tueretur lectionem receptam et de statuis aeneis ibi positis male explicat.



speciem prae se ferre videtur<sup>18)</sup>). Eodem modo **LIPSIVM** in loco **STATII<sup>19)</sup>** contra alios omnes defendo, cum pro: *viuis certantia vultibus aera emendaret: viuis certantia vultibus ora.* Satis enim constat ex **PLINII** loco, aeneas imagines, quae tum quidem effingerentur, ad ipsam vultus similitudinem parum accedere neque variis coloribus ornari potuisse. — Ceterum causa tantae mutationis, ut aeneae imagines cerearum locum supplerent imperatorum aetate, non adeo laudabilis est atque magno populium opprobrio affertur a **PLINIO**: *Artes desidia perdidit et quoniam animorum imagines non sunt, negliguntur etiam corporum.*

### §. III.

Sed ne quis arbitretur, sine veterum auctoritate me mihi quidquam sumfisse, pauca scriptorum loca, quae de externa imaginum forma agunt, nunc addam. **PLINIVS** (l. l.) eas vocat: *expressos cera vultus*, atque **POLYBIVS** (l. l.) scribit: *ἡ δὲ εἰνω ἐσι προσωποὶ εἰς ὁμοιοτητα διαφέροντως ἐξηγεασμένον*, quibus sat superque appetat, illas imagines non integri corporis, sed oris tantummodo summorumque humorum speciem praebuisse: quare graecorum *προτομας*<sup>20)</sup> optime respondent. Porro variis eas coloribus distinctas fuisse, idem **PLINIVS** testatur (l. l.) verbis: *Imaginum pictura quam maxime similes in aevum propagabantur figurae. Pergit deinde: aerei ponuntur clypei surdo figurarum discrimine.* Cum enim varii colores non amplius distinguant in aeneis clypeis sed plane omittantur ab artificibus, *surdum* illud discrimen, hoc est, paruum, exile atque ignobile appellat, vti ipse alibi (lib. 22, 2.) *surdas herbas* alio adiecto nomine *ignobiles* interpretatur. Etiam **IVENALIS**<sup>21)</sup> eleganter quaerit: — *quid prodest, Pontice, longo san-*

18) Vid. **HEINSII** notae ad h. l. et varia scriptorum loca, quae in rem suam laudat. In quibus tamen **FLORVS** atque **VALERIVS MAXIMVS** ex laudato **LIVII** loco suam scribendi rationem haufisse videntur.

19) **Thebaid.** l. 2, 214.

20) Vid. **HESYCHIVS** et **SVIDAS** sub hoc voc. et **STEPHANI** thesaur. graec. Tom. III. pag. 1404.

21) **Satyr.** VIII. 2.

*Sanguine censeri, piñosque ostendere vultus.* Quare optime enarrat POLYBIUS (l. l.) το γαρ τας των ἐπ' αἰετης δεδοξασμενων αὐθεων εινων ιδεν ομου πασας οινε ζωας και πεπνευμενας — τι δ' αν ναιλιον θεαμα τετε Φαεν. Neque difficilis est quaestio, utrum antiquissimi iam temporibus ars illa imagines vario colore pingendi nota fuerit. Nam HOMERVS iam belli Troiani temporibus rubricam in honore fuisse docet.<sup>22)</sup> Laudat naves μιλτοπαρηγος, quae et alibi φωνικοπαρηγοι dicuntur: de quo quidem antiquo naues pingendi more multa erudite refert EPISTHIVS<sup>23).</sup> Item PLINIVS enarrat<sup>24):</sup> Cinnabari veteres, quae etiamnum vocant monochrammata (des siluettes) pingebant etc. Itaque omnem dubitationem superat illorum sententia, qui in antiquis maiorum imaginibus eundem morem obtinuisse censem, ita quidem mutatum temporis successu, ut variis coloris cerae invrendae statim immiscerentur<sup>25).</sup>

Ab his autem cereis maiorum imaginibus *Clypei*, qui vocantur, non sine causa distingui solent. Iam quidem in laudando clypei vocabulo cum Grammaticis male sedulis certamen de scriptura eius ineundum esset, sed PLINII iudicio confisus<sup>26)</sup> rem nihili silentio praetermittam. *Imagines, margine oblongo cinctae, quae auro, argento, aere etc. non quidem cera effingebantur, recentiori illo Clypei vocabulo indicantur: quod iam LIPSIVS luculenter demonstrauit<sup>27)</sup>.* Eadem imagines quoque *thoraces*, sed alia de causa, dicuntur, quia viri formam thorace tenus expressam intuentium oculis offerunt<sup>28).</sup>

## Notatu

22) Vid. Iliad. β, 637.

23) In Antiquit. Homer. pag. 500. squ.

24) H. N. lib. 33 cap. 38. cum quo conferri meretur caput 36. *Iouis ipsius simulacri faciem Romae diebus festis minio illini solitam, triumphante tumque corpora.*

25) Vid. CHRISTIVS l. l. p. 302. et scriptores ibidem laudati.

26) Vid. Hist. N. 35. 3. vbi meminit illius discordiae.

27) In notis ad Tacitum Annal. II. 83. et in Excursis ad eundem librum. num. N.

28) Vid. VOSSIVS in Etymolog. sub voc. *thorax*.

Notatu quoque dignissimum est, in PLINII loco, quem classicum in hac causa laudauimus, addi: stemmata lineis discurrebant ad imagines pictas. Cum quo conspirat Seneca <sup>29)</sup>: *Imagines in atrio exponunt et nomina familiae suae longo ordine et multis stemmatum illigata flexuris in parte prima aedium collocant.* Quae sunt igitur stemmata, quibus cinctas maiorum imagines atque variam gentis cuiusuis antiquitatem esse commemoratam accepimus? ERNESTI <sup>30)</sup> non sine causa opinatur, stemmatum usum post Ciceronis tempora demum inualuisse. Nam omnia loca, in quibus mentio illorum iniicitur, Suetonii aetate non sunt antiquiora. Immo vero si Ciceronem aliosque aetatis eius scriptores euolvamus, aliam nos viam docent, qua veteres Romani suarum gentium et generis antiquitatem defenderunt. CICERO dicit <sup>31)</sup>: *Tua vero nobilitas, Ser. Sulpiti, tametj summa est, tamen hominibus litteratis et historicis est notior: populo vero et suffragatoribus obscurior — ita non ex sermone hominum recenti, sed ex annalium vetustate eruenda est memoria nobilitatis tuae.* Quod autem de hominibus litteratis h. l. Cicero refert, aliorum testimoniis confirmatur. Tales fuisse M. Varronem, Atticum et Messalam oratorem, affirmit PLINIVS (l. 1) atque idem de Attico in eius vita narrat CORNELIVS NEPOS, cap. 18. qui varios de familiis singulis libros non sine multa et doctrinae et orationis elegantia ediderunt. Quae cum ita sint, stemmatum originem ante imperatorum tempora collocare non licet, quae occasione vel ab ipsis Attici aliorumque libellis defunta primum inuenta esse videntur. Quomodo vero comparatum olim fuerit eiusmodi stemma, mihi nondum satis liquet. Certe res illa non omnis dijudicatur veterum scriptorum testimonis, quare tot extant virorum doctorum de illis sententiae. Vnam HARDVINI adferre sufficiat, qui ad Plinii l. l. stemmata figuratas appellat minores et orbiculatas, quae ad latera duos lineis adsitae fuerint. Quae quidem viri docti interpretatione a lauda-

29) Lib. III, de beneficiis. cap. 28.

30) In notis ad Sueton. Neron. cap. 37.

31) Pro Murena, cap. 7.

laudatis supra et Plinii et Senecae verbis parum recedit. Omnia enim ex iis locis adparere videtur, ductis ab utroque imaginis latere transuersim lineis, varias inde et quadratas et oblongas figuram extitisse, quibus deinde tanquam in tabula quadam tota nobilitas aui et proaui inscriberetur. Si igitur stemmata cum ipsa imagine non adeo coniuncta fuerunt, sed imaginem tantum ambierunt, quia forte in serti aut coronae modum imaginem includerent: non opus est singulis stemmatis impositas cogitare imagunculas, ut quidam autumant. Quamquam enim eiusmodi imagunculas hodieque in stemmatis plerisque conspicimus, non idem mos apud veteres obtinuerit, necesse est: immo scriptorum silentio atque laudato Senecae loco sententia plane contraria prodit, quia nihil nisi nomina stemmatis iis inscripta fuisse testatur.

A stemmatibus autem Tituli distinguuntur, qui cuilibet imagini erant subiecti atque laudes illius, qui hac imagine innueretur, honores, vitam omnem et praecclare facta indicabant. **TIBULLVS<sup>32)</sup>** eiusmodi titulos appellat: *indices. IVVENALIS<sup>33)</sup>* autem: *longam et insignem honorum paginam.* Neque iniuste **NEAPOLIS** ex Ouidii verbis: <sup>34)</sup> *perlege dispositas ceras* concludit: ostendi his verbis, nomina gestaque cuiusvis in basi subscripta fuisse. Honores potissimum his titulis inscribebant, quos gesserant in vita, et quo plurimum magistratum maiorum mentionem facerent, eo splendidiorum efficiebant titulum. Honores eiusmodi enumerat **LIVIVS<sup>35)</sup>** *Cuius imaginis titulo consulatus censuraque et triumphus aequo animo legetur, si auguratum aut pontificatum adiceritis, non sustinebunt legendum oculi.* Alibi imaginem tot gestis mortui honoribus locupletatam idem scriptor *honoratissimam dicit imaginem.<sup>36)</sup>* **IVVENALIS** autem <sup>37)</sup> non tam magistratum maiorum quam praecclare factorum rationem ineundam suadet. Ait enim: *Primum aliquid dare.*

*Quod possim titulis incidere praeter honores.*

Ita praecepui quidquam praeter honores sub imaginibus *Camilorum, Fabiorum, Scipionum* atque *Ciceronum* legebatur, qui viri Pa-

B 2

trum

32) Lib. IV. eleg. I, 30.

33) Satyr. X, 56.

34) Conf. Faft. I, 591. et notae eius ad h. 1.

35) L. X, 7.

36) L. III, 58.

37) Satyr. VIII, 69.

trum Patriae nomine non indigni inter Romanos censebantur. Cum autem artes liberales Romae magis magisque excolerentur, desit paululum titulorum longorum desiderium. ATTICVS enim viros Romanorum nobilissimos, CORNELIO teste,<sup>37)</sup> laudare aggressus, sub singulorum imagine facta magistratusque eorum non amplius quaternis binisque versibus descripsit. CICERO idem de Attico testatur<sup>38)</sup> verbis: *Epigrammati tuis, quae in Antheo posuisti, contenti erimus.* In quo quidem loco contra GRONOVIVM ceneo non tam de statua, quam de imagine Ciceronis esse sermonem, quia tum nondum in bibliothecis statuae collocari solebant. Nam sine dubio vterque et Nepotis et Ciceronis locus de biblioteca Attici intelligitur, cui quidem doctissimorum virorum imagines imponebant.<sup>39)</sup> Ceterum nimium istud augendi tituli studium, quod antiquis temporibus Romae vigebat, eo induxit multos, vt falsos honorum titulos maioribus suis adfingarent, ideoque omnia, quae poterant cognosci illorum ope, redderent incerta. Qua de re quidem LIVIVS<sup>40)</sup> in historia conscribenda facie numero est quaestus atque hunc prauum ostendandi morem cum laudum funebris<sup>41)</sup> mendaciis, quae tum quoque regnarent, comparavit. An vero his titulis vitia quoque alicuius et res male gestas addiderint, vt aliquo loco me legere memini, non credam: sique in GRVTERI atque FABRETTI inscriptionibus adsint quaedam, quibus eius flagitia quoque, cui posita sunt, contineantur, ab inimicis arbitror in defuncti ignominiam eas esse confectas.

## IV.

Supereft iam, vt de iis quaestionem moueamus, qui iure imarginis suae in atrio ponendae gauderent, quia non cuius Romano ciui eiusmodi vti aedium ornamentis concedebatur. SIGO-

NIVS

37) In eius vita, cap. 18.

38) in Epift. ad Atticum L. I. 16.

39) vid. LIPSIUS: de Bibliothecis cap. X.

40) Lib. XXII, 31. et Lib. VIII; 40.

41) effictae eiusmodi laudationis exemplum vide, sis, in Sueton. Iul. cap. 6.

**NIVS** <sup>42)</sup> atque **LIPSIVS** <sup>43)</sup> iam pluribus et pro more suo perquam docte rem omnem excusserunt, quare nunc quidem breuitati stude licebit. Proprie nemini ius imaginis, nisi qui *magistratum curulem gererat*, concedebatur, atque eo sensu ius imaginis nihil aliud indicat, quam suae imaginis in atrio ponendae potestatem, quod quidem alii, vel ex nobili genere oriundis non ita licebat: ut adeo ius illud pleno nomine *imaginis ponendae ius* dici deberet. Assequi illud siue plebeii poterant, qui *noui* inde dicebantur, siue nobiles. Inquiramus igitur, quinam proprie nobiles fuerint? <sup>44)</sup> Si nouos homines ab iis distinguis, quamquam hi quoque iure imaginis recipiendo nobilitatem proprie assequebatur, *nobiles* sunt scriptoribus romanis, *qui maiorum imaginibus splendent*. Antiquissimis temporibus omnis nobilitas patriciis erat concessa, quia soli ad magistratus maiores admittebantur. Tribunis autem rem publicam commouentibus atque plebeii eadem capessendae reipublicae iura consecutis, ordini vtrique et senatorio et plebeio communis est facta nobilitas, solo imaginum iure distincta.

Nemo autem, nisi saltem *Aedilis curulis* munere Romae funditus esset, hoc iure vti poterat, quod **CICERO** <sup>45)</sup> aperte testatur. *Habeo*, inquit, *ob earum rerum laborem et sollicititudinem fructos illos datus, antiquorem in senatu sententiae dicendae locum, togam praetextam, sellam curulem, ius imaginis ad memoriam posteritatemque prodendae*. Ita enim legi debere pro: *prodendam demonstrauit I. GRONOVIVS*, <sup>46)</sup> eumque contra alios omnes fecuti sunt **ERNESTI** atque **GESNERVS**. Quoniam autem antea de Quaestoria sibi commissa dixerat neque

B 3 talam

42) de Antiquo iure Civ. Rom. L. II, 20. qui locus in Operibus eius ab **ARGELATO** editis extat Tom. V, pag. 271 - 275.

43) Elec. I, 29.

44) multis quidem de vera vocabuli huius origine disceptatur. Alii *nobiles* dici arbitrantur, quia quasi *notabiles* sint et noti. Sed magis placet **ERNESTI** sententia, quam aperuit in Clav. Cicer., ut nobiles sint i. q. *notabiles*, quia propter magistratus reipublicae nomine gestos facile agnosciri possent ab omnibus.

45) in Verrem. I. V, 14. eundem locum in Chrestomathia Ciceron, notis illustravit **GESNERVS**.

46) in Obserratt. L. I. cap. 12.

talem ei adscriperat dignitatem, negari non potest, Adilitatem curulem iure imaginis quemlibet primum donasse, qui, si de plebe esset, nouus dicebatur.

Contra tamen SIGONIVS aliquo loco<sup>47)</sup> docuit: Nouum hominem apud Liuium dici, et eum, qui magistratum cepit, quem antea non gesserit, et qui primus ex familia sua curulem magistratum gessit — vt ita, quicunque ex nobilibus consul primum crearetur, noui homini nomine veniret. Sed vir doctissimus alio LIVI loco<sup>48)</sup> deceptus haec scriptis, quem corrupte ita legebat: *quia in tali tempore nullus nouis magistratus videbatur mandandus.* Plurimi autem codices non *nouis* sed *nouus* legunt. Praeterea ex quibusdam codd. optime emendauit DRAKENBORGIVS: *nulli pro nullus*, vt plane transposita nunc legi varia lectio iubeat: *nulli nouis magistratus.* Sed ipse Sigonius postea lectionis varietatem perspexisse et priorem mutasse sententiam videtur, cum nec huius loci nec fuae sententiae mentionem iniecerit in loco supra laudato,<sup>49)</sup> qui haec omnia luculenter pertractat.

Nobilitatem autem a posteris hereditate esse acceptam, vel ipsa vocabuli notio supra explicata declarat, quia, quicunque maiorum imagines in atrio ostentare poterat, ne sua quidem adiecta imagine, iam nobilis dicebatur. Eodem modo VLR. HVBERVS<sup>50)</sup> multis et Codicis et veterum scriptorum testimoniis confirmauit: *Adoptatos quoque in patris nobilitatem successisse*, quia ipsi quoque iura cognationis consequebantur. Quo factum est postero tempore, vt quo quis plures familiarum cognationes adoptione contraxerat, eo pluribus vti imaginibus in atrio atque funeribus posset, quae tamen multiplicandarum alienae gentis imaginum consuetudo post Ciceronis tempora magis inualuit. Certum est enim sub imperatoriis tot imaginum funera saepe fuisse elata, vt intuentium oculi stucent: atque legimus etiam quosdam, antiquae adhuc consuetudinis tenaces, nouum hunc morem admodum detestatos esse. Quae enim

<sup>47)</sup> in notis ad LIV. l. VII, 1.

<sup>48)</sup> lib. XXII, 35.

<sup>49)</sup> de A. I. C. R. l. II, cap. 20.

<sup>50)</sup> in Praelect. Iuris Civil. Tom. II, lib. I, tit 7, num. 2.

enim alia fuit causa, ut MESSALA orator<sup>51)</sup> sua nobilitate admōdum inflatus, inseri genti suae prohiberet Leuinorum alienam imaginem, qui tamen, vt ipse, ex gente Valeria oriundi, familliae tantum diuersae erant?

Porro imaginibus quoque a matre acceptis vt in atrio atque funeribus licuit. Exemplo vtar Augusti imperatoris, qui Attia matre prognatus Magnum Pompeium arctissimum contingebat gradu<sup>52)</sup>. Inde optimo iure conspecta est Pompeii M. imago in funere Augusti<sup>53)</sup>. Porro antiquissimis iam reipublicae temporibus, cum Roma adhuc sub regibus esset, exempla non desunt, quibus nobilitas mulierum quoque propagata esse demonstratur. Ita LIVIUS<sup>54)</sup> Ancum Marcium vna tantum Numae imagine nobilem dicit. Filia enim Numae Ancum pepererat, patre autem ignobili erat vsus, cuius nullibi apud veteres fit mentio, quare Anco a matre tantum nobilitas aui accesserat

Si quis igitur verum arbitratur, et foeminas et pueros nobili loco natos in atris exponere maiorum imagines potuisse, modo ne suas iis infererent, quidam tamen CICERONIS<sup>55)</sup> locus aduersari huic opinioni videtur. Est hoc in more postum, inquit, vt ii, qui beneficio vestro imagines familiae suae consecuti sunt, eam primam habent concionem, qua gratiam beneficii vestri cum suorum laude coniungant. — Sed beneficium illud populi Rom., quod Cicero praedicat hoc loco, non imagines ipsas maiorum in atrio ponendas respicit, sed magistratus a maioribus gestos, quibus suae imaginis ponendae iura merebantur. Quodli igitur iuuenes, nobili loco nati, eosdem magistratus, quibus inclareruerant maiores eorum, confequerentur, Cicero h. l. eos, singulari dicendi genere vsus, imagines familiae suae consecutos esse dixit<sup>56)</sup>. Praeterea FIGRE-

LIVS

51) vid. PLIN. H. N. I. 35, 2. et HARDVINI, notae ad I. I.

52) ita docet Sueton. Octav. 4.

53) vid. DIO CASSIUS. Lib. LVI. pag. 678. edit STEPHAN. et pag. 833. edit. REIMAR.

54) Lib. I, 34. 55) in Agraria II, I.

56) ita iam SIGONIVS de Nominibus Rom. cap. VI. interpretatur hunc locum, atque ERNESTI in notis ad h. l. addit: i. e. peruenere eo, quo ii,

# QK TTe M08

16

LIVS<sup>57)</sup> ex hoc loco male conclusit: eos Romae, qui ius imaginis accepissent, publicis orationibus gratias agere solitos esse. Enim vero sententia Ciceronis non ita ad verbum de concesso imaginum iure tantum explicanda videtur, sed omnino *de honoribus populi beneficio acceptis*: eiusque beneficii gratiam Romanos singulari oratione plerumque praedicasse, Cicero certe loco laudato testatur. — Cum autem iuueni loco nobili nato liberior ad summos honores accessus pateret, ideoque mirum quantum Romani in demonstranda imaginum antiquitate defudarent, IV VENALIS censor aetatis sua tempestitus, *Satyrā VIII.* inane illorum studium non inuenuste perfrinxit.

Sed video, me omnem de imaginibus Romanae nobilitatis insignibus tractationem absoluere hac quidem vice non posse. Restant enim nonnulla, quae partim *de loco*, ubi seruarentur illae imagines, partim *de verio* illarum usu adspergam, si alio tempore commoda se mihi occasio scribendi obtulerit. Itaque ad id redeo, cuius causa hanc omnem suscepi tractationem. Munus enim Rectoris in Lyceo Torgauensi a Senatu Ciuitatis Amplissimo benevolo mihi demandatum bono cum Deo auspicaturus, orationem: *de veris rei scholasticae commodis* praemittam.

Ad quam quidem audiendum VOS, VIRI ILLVSTRES ET GENEROSSIMI, PRAESES SACRORVM SVMME VENERABILIS, SENATVS CIVITATIS AMPLISSIME, MINISTRI SACRORVM PLVRIMVM REVERENDI, LYCEI MAGISTRI CLARISSIMI, RELIQVIQUE bonarum litterarum FAVTORES HONORATISSIMI, omni, qua decet, obseruantia humanissime inuito. Qua quidem Praesentia VESTRA mihi perquam honorifica si me audientem ornare non dedignamini, non maiori modo animi grati laetitia ad ponenda noui muneric initia me accingam, sed spem quoque non inanem concipiam, fore, ut mihi in posterum quoque VESTRA adiuto benevolentia non sine fructu exoptato versari liceat in animis Iuuenium Carissimorum ad sapientiam instituendis.

ii, quorum imagines ipsi habent in atrio, ut possent et ipsi imaginem suam ibi proponere.

57) in libro: *de Statuis Illustr. Rom. cap. I.*

**ULB Halle**  
006 032 923

3



VD18

n.c





AD  
O R A T I O N E M  
MVNERIS IN LYCEO TORGAVIENSI  
ADEVNDI CAVSA  
D. V. MAII A. C. CICLOCCCLXXXIII.  
HORA VIII. MATVTINA  
AVDIENDAM  
PATRONOS ET FAVTORES  
IN VITAT  
ET  
DE IMAGINIBVS ROMANAЕ NOBILITATIS  
IN SIGNIBVS  
DISSERIT  
M. TRAVGOTT FRIDERICVS BENEDICT  
RECTOR DESIGNATVS.

L I P S I A E  
L I T T E R I S S O M M E R I

